

QK. 254, 4

Zc  
3302

I. N. F.

CHRISTIANUS LEHMANNUS D.

Superintendens

*Fratres in CHRISTO dilectissimos*

*Per Reverendos*

DN.

SYMMYSTAS  
IN METROPOLI

ut &

DN. ADJUNCTOS,

PASTORES, DIACO-

NOS & SUBSTITUTOS

Ephoriæ FREIBERGENSIS

amicè salvere jubet in  
DOMINO.



x 2055602







**N**ter varia Ministrorum Ecclesiæ nomina elegans illud & appositum est, cum salutantur *Oeconomi*. Ipsemet *οικοδεσποτης* noster JESUS eos hoc nomine ornat; *Quis*, inqviens, *putas est fidelis & prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam?* Luc. XII, 42. Id quod D. Paulus ad se & reliquos Evangelii ministros ita applicat: *Sic nos aestimet homo, ut ministros Christi & οικονομους mysteriorum DEI,* 1. Cor. IV, 1. & requirit, ut Episcopus sit *ανεγκλητος*, insons & qui de gravioribus, proæreticis & scandalosis delictis conveniri aut reus peragi non possit, *ως θεος οικονομος*, Tit. I, 7. Ratio denominationis liquido patet, quia ministri & dispensatores sunt in Ecclesia spiritualium bonorum, quæ DEUS ipsis in verbo & Sacramentis dispensanda commisit, & curam gerunt familiæ DEI ipsorum fidei concreditæ. Cum autem in Oeconomo quam maxime fidelitas requiratur, 1. Cor. IV, 2. consequens est, ut & prudentiâ polleat *Oeconomica*, quæ sine fidem suam præstare non poterit. De hac prudentiâ breviter sed *εισαφορικως* loquitur Paulus Apostolus, 1. Tim. III, 15. *ἵνα εἰδῆς, πως δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι.* Ut scias, quomodo oporteat versari in domo DEI. Occupatus erat Apostolus in formando & informando Episcopo, suo munere digno, & licet ad Timotheum filium suum *γνήσιον ἐν πίστει* scribat, ita tamen monita & doctrinas proponit, ut ad omnes Ecclesiæ Ministros pertineant; & brevî quidem epistolâ complexus est, quæ proximè coram erat uberius persecuturus. At cum non sui usque quaque esset juris, sæpiusque sibi proponeret, quæ DEO disponente longè aliter caderent, ut certus esse de adventu suo non posset, itaque quæ sufficerent Timotheo ad *Prudentiam oeconomicam*, innuit se scripto præmisisse, ut sciret, quæ ratione sibi esset in Ecclesia velut Domo DEI, cujus constitutus esset Oeconomus in urbe Ephesina, ob templum Dianæ, *τὸ τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερόν*, toto orbe



orbe celebratissima, conversandum. *Oeconomicam* esse peculiar-  
rem in Philosophia morali *Prudentia* partem constat, & requiri-  
tur ab iis, qui *propria domui bene cupiunt praesere*, 1. Tim. III, 4.  
Multo major prudentia erit adhibenda, ubi *Oeconomi* fides, non  
in re familiari humana, sed plane divina, in DEI scilicet domo  
praestanda est. Neque enim satis est *scire*, quae te deceant, &  
dignitati ac utilitati tanti muneris convenient; sed requiritur ipsa  
quoque *praxis* & operis expressio, ut effectus rei ipsa exhibeat, quam  
in *idea* quadam mens pia complectitur prudentiam. Hinc ta-  
lis servus Domini dicitur *πιστὸς καὶ φρόνιμος*, Matth. XXIV, 45. qui  
non solum praefectus sit famulatio, sed & nôrit ac studeat ipsis  
suo tempore & modo dare cibum. *Beatus ille servus, quem veniens  
Dominus suus inveniat* *ποιεῖν τὰς ἐντολάς*, ita prout fides, prudentia,  
mandatum Domini & res ipsa postulant, opere ipso facientem.  
Idem Paulus h. l. innuit, cum τὸ εἰδέναι requirit, ut scias, πᾶς, quo  
consilio, scopo, studio, modo, medio, tempore, loco quidvis  
proponendum, instituendum, agendum, gerendum, urgen-  
dum, omittendum, relinquendum, reassumendum. Id omne  
& multo amplius quid exprimit in *Conversazione*, de qua ait:  
*πῶς δὲ ἀναστρέφεσθαι*, rei gravitatem & prudentiae necessitatem  
nervose insinuans. Non id arbitrio Timothei relinquit, ut  
agat pro voluntate & commodi sui opportunitate, sed divini  
mandati normam & auctoritatem, ut & suam monitoris, ut pote  
quem Parentis loco Timotheus reverebatur, fidem & exem-  
plum proponendo, unaque officii gravitatem, & conscientiae  
obligationem inculcat. *Conversatio* autem ipsa, quam Græci  
*ἀναστροφὴν* vocant, eô sensu quo hic & alibi in N. T. occurrit,  
in genere, quicquid à bono & fideli Ecclesiae Oeconomo uspi-  
am requiri potest, in se continet. Non enim honoris causa,  
velut hospes aliquis, *versari* debet in domo DEI, otiosus specta-  
tor, & voluptatis gratia, ut locum occupet, tempus fallat, &  
varia officia ac obsequia domesticorum expectet atque excipiat,  
aut commodis suis velificetur, pericula autem quævis & odia  
caute evitet; hæc umbrarum vita esset, & mercenariorum per-  
fidia;



fidia ; sed *conversatio* hæc debet esse pia, sancta, laboriosa, per-  
 vigil, congrua, frequens, fructuosa, in commodum uni-  
 versæ domus vergens, proficua in docendo, præeundo,  
 gubernando, fovendo, emendando, castigando, & in or-  
 dinem redigendo famulatio, prout rerum status ac ne-  
 cessitas postulat. Inde natæ sunt tot piæ & graves adhorta-  
 tiones, ne simus ἐν πλάνῃ ἀναστροφόμενοι, 2. Pet. 2, 18. sc. luxuriâ  
 carnis effræni, in errore versantes, & cùm simus carè redem-  
 pti ἐκ τῆς μαλαίας ἀναστροφῆς παροπαράδοτος, de vana conversatio-  
 ne paternæ traditionis, 1. Pet. 1, 18. deponendus est vetus homo  
 κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν, Eph. IV, 22. qualis e. g. erat Pauli  
 ἀναστροφή ποτε ἐν τῷ Ἰσραηλῶ, cùm persequeretur Ecclesiam DEI,  
 Gal. 1, 12. Et quia filii seculi omni studio & conatu occupari  
 consueverunt in iis, quæ Christianæ conversationi planè sunt  
 adversa, Paulus id alibi vocat περιπατεῖν. Eph. II, 2. ἐν αἷς (ἀ-  
 μαρτίαις) ποτε περιεπατήσατε, & mox, v. 3. ἐν ἵς ἡμεῖς πάντες ἀνε-  
 σφάθημέν ποτε, enixe scilicet circumacti & operosè volutati  
 quasi in cursu impietatis. E contrario ab omnibus Christia-  
 nis, maximè Ecclesiæ Ministris flagitat, ut sint sancti & ipsi  
 ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ, secundum eum, qui eos vocavit, & sanctus est,  
 1. Pet. I, 15. & studeant bonæ conversationi, ἐν πάσι καλῶς θέλοντες  
 ἀναστέφασθαι, in omnibus bene volentes conversari, Ebr. XIII, 18.  
 Quis sapiens & disciplinatus inter vos, ostendat ex bona con-  
 versatione, ἐκ τῆς καλῆς ἀναστροφῆς, operationem suam in mansuetu-  
 dine sapientiæ, Jac. III, 13. ἐν ἀγίαις ἀναστροφαῖς, 2. Pet. 3, 11. quamdiu  
 vitam agamus in hoc seculo, ἐν φόβῳ τῆς παροικίας ὑμῶν ζήσαντες  
 ἀνασφάθητε, 1. Pet. I 17. habentes bonam conversationem, καλὴν ἀνα-  
 στροφήν, in gentibus. 1. Pet. 2, 12. quam & cum admiratione obser-  
 vent adversarii, 1. Pet. 3, 2 qui calumniantur ἀγαθὴν ἐν χειρῶ ἀνα-  
 στροφήν, 1. Pet. 3, 16. Inprimis sint Ministri Ecclesiæ Typus &  
 Exemplum fidelibus in verbo, ἐν ἀναστροφῇ, in conversatione,  
 in castitate, in fide, &c. 1. Tim. IV, 12. veluti Paulus in Domi-  
 no gloriatur & in sinu gaudet serenâ usus conscientia, quòd in  
 simplicitate & divina sinceritate, non in sapientia carnis, sed in  
 gratia DEI conversatus fuerit in mundo, 2. Cor. I, 12, qualem  
 con,



conversationem ornat felix clausula, ut superstites contemplan-  
 tur τὴν ἑκβασιὴν τῆς ἀναστροφῆς piorum Doctorum, Ebr. XIII, 7. Porro  
 in nos quoque derivemus ex Christiana Charitate persecutiones  
 & injurias piorum, κοινωνοὶ τῶν ἐπὶ τῆς ἀναστροφῆς ποιμένων γεννηθεῖτες, Ebr. X,  
 33. Apparet ex his, quàm latè pateat vox conversationis ab  
 Apostolo usurpata, & quòd respondeat Ebræo קהלה, ut videre  
 est ex Prov. X, 7. & quanta circumscriptio ab Ecclesiæ Mini-  
 stris requiratur, in Doctrina verbi, administratione Sacramento-  
 rum, usu clavium, disciplinæ praxi, refutandis erroribus, cu-  
 stodia Gregis, & in omni vita, functione, in moribus, verbis,  
 factis, ut nec amici habeant, quæ desiderent, nec malevoli,  
 quæ carpant, nec conscientia, quòd mordeat, nec censura,  
 quòd palam notet & configat. *Fidelis Oeconomi* est, ut assidue  
 versetur in negotio utili ac honesto, & omnia in domo circum-  
 spectet, damna avertat, commoda quærat, defectus emendet.  
 Pondus autem huic admonitioni accedit, quòd hæc conversa-  
 tio fiat in DOMO DEI, quam Apostolus statim declarat, quòd  
 sit *Ecclesia DEI vivi*, eamque in sequentibus miro extollit præ-  
 conio. Nobis in præsentis sufficit, quòd œconomi spirituales  
 officii sui exinde admonentur, quòd non in domo privata ci-  
 vis, aut palatio principis, sed in domo DEI versentur, & qui-  
 dem non DEI alicujus nuncupativi, quo nomine gaudent ma-  
 gistratus, qui tamen uti homines moriuntur, Pf LXXXII, 7.  
 sed DEI vivi, i. e. veri, unici, immortalis, qui fons vitæ, & vi-  
 tam quoque præbet in Ecclesia iis, qui dicuntur filii DEI vivi,  
 Os. I, 10. Rom. IX, 26. Gal IV. 6. 7. Et cum statim progrediatur  
 Apostolus ad Mysterium Incarnationis v. 16. haud temere quis  
 putet, eum hoc nomine *DEI vivi* respicere ad JESUM CHRI-  
 STUM redivivum, qui in medio septem candelabrorum aureo-  
 rum versans pronunciat: *Noli timere: Ego sum primus & novis-  
 simus & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in secula seculorum  
 & habeo claves mortis & inferni*, Apoc. I, 18. Dum autem *DEI do-  
 mus* vocatur, excluduntur omnes, qui potestatem sibi aliquam in  
 Ecclesiam DEI rapiunt, veluti Domini, aut Patres familias,



aut heri, aut vicarii, aut sponsi, quibus titulis superbit Romanus Pontifex; est enim *domus DEI*, in qua ipse solus regimen tenet, cum exclusione quorumvis aliorum, qui cum non per januam ingrediantur, nec ullum jus habeant familiae, furibus & latronibus comparantur, Joh. X, 1. Eo nomine jam in Apostolica Ecclesia vapulabat *Diotrephes*, qui *principatum affectabat*, notatus propterea à D. Johanne III. Ep. v. 9. de quo *Beda*: *Erant haeresiarcha temporis illius aliquis superbus & insolens, malens nova docendo primatum sibi usurpare scientia, quam antiquis sanctae Ecclesiae, quae Johannes predicabat, humiliter auscultare mandatis.* Tales non admittit Deus ad gubernacula domus suae. Non male huc quadrat comparatio Templi, quod typus erat Ecclesiae N. T. spiritualis Templi, in quo longe sublimiori modo, ac olim, DEUS vult habitare, inveniri praesens, spectari, dives & magnificus cognosci & religiosè coli, Eph. II, 21, 22. 1. Pet. II, 5. In cuius conspectu ejus ministri debent sanctè & ad nutum ejus sollicitè versari, ut digni tanto Domino, domicilio, munere, & universum famulitium illo nomine dignum praestent, concessaque potestate ritè utantur, quæ est potestas docendi, monendi, redarguendi, castigandi, confutandi, consolandi, animas curandi, pauperes refocillandi, sacramenta & claves administrandi, totiusque Ecclesiae commoda promovendi. Hæc enim potestas, quæ Ecclesiae aut Christo tributa est, per prudentes Oeconomos exercetur, 1. Cor. IV, 1. Paterfamilias est DEUS: domestici sunt fideles, Eph. II, 19. Gal. II, 16. Fundamentum principale est CHRISTUS, 1. Cor. III, 9. Organicum verò doctrina Prophetarum & Apostolorum, Eph. II, 20. Et CHRISTUS quidem alio respectu Princeps & Dominus, alio fundamentum dicitur; sicut & à Patrefamilias constituti ministri, possunt esse domus, quatenus DEUS in ipsis est, 1. Cor. III, 16. & pars domus quatenus cum aliis conjuncti sunt, 1. Pet. II, 5. & possunt esse architecti, quatenus secum jungunt alios 1. Cor. III, 10. & Oeconomi, quatenus dispensant divitias Domini; & ministri, quatenus serviunt Deo & Ecclesiae.

Hæc



Hæc, *Fratres in Christo dilectissimi*, præfari visum est, in mutuam admonitionem gravissimi, quod in Ecclesia gerimus, muneris. Licet enim in mundo nihil vilius abjectiusque sit Ecclesiæ Ministro, in gloriam tamen nobis cedit non contemnendam, quòd in Domo DEI versemur, opus Domini pro virili expedientes. Magnus est Dominus, cui servitia præstamus, magna est domus, cui ministramus. Cæterum & ingens est negotium, & magna moles, quæ nobis incumbit, & gravissima ratio, quæ olim reddenda est. Nemini itaque intemptivum videatur, si exulceratis hisce temporibus nos invicem *Oeconomica Prudentia, quomodo in domo DEI versandum* sit, admonendi occasionem commodam & licitam captemus. Aurem quoque vellicant veteres Doctores. *Ambrosius in Epist. Sobriâ*, ait, *à turbis gravitatem, severam vitam, singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis*. Et Gregor. M. de cura Pastoralis: *Pastor, inquit, cogitatione sit mundus, operatione precipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præcunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per Zelum justitiæ erectus, internorum cura in exteriorum occupatione non minus, providentiam internorum sollicitudine non relinquens.* &c Hæc prælibâsse in præsens sufficiat, postquam, invocato piè Nomine DEI, more majorum, in animum induximus *Synodum Pastoralem*, tot annis intermissam, in usum revocare, non aucupio gloriolæ inanis, aut quæstu profani lucelli, aut novandi studio, à quibus omnibus animus meus abhorret, sed ut & in hac parte muneri meo satisfaciam, & quæ ad firmandum, ornandum, augendum ærarium pro viduarum & orphanorum solatio olim in hac Ephoria constitutum, faciunt, consiliis collatis coram expediantur, nec non à multis jamdiu exoptata occasio aperiat, mutuò colloquendi & se in Domino fraternè recreandi. Operam enim dabo, ut certum argumentum proponatur, de quo finitâ concione, ante prandium, amica colloquia instituere queamus. In Synodis nonnullis, quas Annæbergæ superioribus annis egi, ex AGENDIS Ecclesiasticis materiam practicam modestè ventilandam produxi, & perveni us-

que



que ad *Baptismum in casu necessitatis*. In quo utilissimo argumen-  
to occupabitur, *εάν ο κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν*, industria nostra.

Quod igitur Felix Faustumque jubeat esse

JESUS CHRISTUS,

*ἀρχιποιμὸν* noster fidelissimus,

Ipsius sanctissimis auspiciis

ad fut. diem VI. Octobr.

quæ Mercurii dicitur post

XVII. Dominic. Trinit.

SYNODUM DIOECESANAM

Ephoriæ Freibergensis

per Reverendis

Dn. Symmystis meis Metropolitanis

ut &

Dn. Adjunctis, Pastoribus, Diaconis

& Substitutis

omnibus & singulis Fratibus

meis in CHRISTO dilectissimis

per amanter indico,

Eosdemque officiosè invito, ut manè

summo frequentes adsint, ad sacra publica ordine

unà procedant, iis finitis, orationem per bre-

vem domi auscultent, & propositum

argumentum fraternâ *συζητήσει*.

sub examen revocent,

postea vero frugale prandium æquè

bonique consulant.

Faxit DEUS clementissimus,

ut prudenter versemur in Domo

ipsius, & aliquando

Oeconomorum fidelium præmium ex

gratia reportemus,

per CHRISTUM, Amen!

Scribebam è Museo d. 15 Sept. 1700. Freibergæ.

\* \* \*



QK. 254.

CHRIST

*Fratre*

SYN  
IN

DN.  
PAS  
N

Ephor

ANNUS D.

*simos*

AS  
OLI

TOS,  
ACO.  
OS  
ENSIS



X 2055602



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**TIFFEN** Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

